

II. fol. 125. Incipit lectura 4^a libri sententiarum Magistri Landulphi ordinis fratrum minorum. Ita: *Fundamentum &c. Circa III^m librum inchoando quero vnam questionem scilicet. Vtrum totalis nouitas alicuius effectus sit a virtute illimitata tantum. &c. Extrema sunt: Ad quam ille ipse nos perducatur, cuius regnum et imperium sine fine permanet &c. Amen. Explicit 4^m sententiarum, ut supra, et rursus Tabula.*

DXVII.

U. 440 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 108. f. per duas columnas non tamen eadem, qua praecedens, manu exaratus, coloribus distinctus, et, ut notatur in theca anteriore, quondam deputatus ad usum fratris Nycolai de Valchenstein studentis de provincia Austriae est iuxta clausulam Tabulae in calce Codicis ejusdem Landulphi Commentarius in II. Sententiarum, ut adeo non nisi Scriptum in III. nobis desit. Init: *Fundamentum primum &c. Celeber doctor bernardus mundialis fabrice conditionem admirans &c. et clauditur: nunquam inops et gaudens lucris. Qui es benedictus in secula seculorum. Amen. Tabulam Quaestionum adesse jam dixi. Com-*

Qui dare vult alijs non debet dicere vultis.

Accedit primum Index tractatorum alphabeticus cum altera parte regulae:

Hoc verbum vultis nocuit saepissime multis.

dein

mentarium hunc impressum existere in Bibliotheca S. Laurentii major. Neapoli testatur Nic. Toppius in *Bibl. Neapolit.* p. 185. a me nunquam visum. Sed dolet Vir bonus nec Typographum, nec annum editionis sciri posse ob folium primum avulsum, in quo haec sane non oportebat quaerere, siquidem, ut ait, vetusta est Editio.

DXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 445 XIV. Folior. 350. f. per duas columnas nitide scriptus, et picturatus, olimque, ut theca postica docet, M. Johannis Röchel (Argentiniensis), qui eum a. 1411. comparauerat 7. florenis vngaricis, est iuxta verba clausulae *Lectura primi sententiarum edita a fratre gregorio de arimino ordinis fratrum heremitarum sancti augustini qui legit par. (isiis) Anno domini 1344.* Initium prolixi operis est: *Circa prologum libri sententiarum quero primo, utrum de obiecto theologico per theologicum discursum notitia proprie scientifica aquiratur &c. et finis: ut in omnibus nostra sit diuine voluntati conformis eo prestante qui est super omnia benedictus in secula seculorum amen.* Tum clausula jam adlata, et aurea regula:

1211

I C O D I C E S

1212

dein Tabula Quaestionum cum jocososo epiphonemate: *Explicit totum mit ein ander.* En alium Scholasticorum Principem ex Augustiniana familia addendum tot Coryphaeis e Praedicatorum et Minorum sodalitis, quorum Scripta ipsorum paene aetatem adtingentia in Membranis Bibliotheca Palatina fervat. Vicinus aedi sacrae scribo, in qua ab anno mortis 1358. quiescunt ejus Exuviae. Decessit enim Vindobonae commune sepulcrum nactus cum *Thoma de Argentina*, quem etiam in suprema Ordinis sui Praefectura fuerat secutus. De facta Sepulcri hujus a. 1634. inspectione et aliis ad hunc Virum pertinentibus vide *Conspect. Hist. Univ. Vien.* P. III. p. 202. *Scriptt. Univ.* P. I. p. 20. ubi perperam dicitur duodecim annis ante *Thomam Argentinens.* tumultus, *Locheri Speculum Acad.* p. 429. ubi mors *Thomae* a. 1375. mors *Gregorii* a. 1385. prave adfigitur, *Fabricii Biblioth. med. Lat.* L. VII. p. 97. *Offingeri Biblioth. Augustin.* p. 74. ubi iterum lapsu typographi *Gregorius* pro anno 1357. Prior Generalis electus dicitur a. 1375. Lubens haec emendo; idem enim a Posteris officium spero. Commentaria *Gregorii* lucem videre teste *Maitt.* in I. *Sententiar.* *Parif.* 1482. et 87. Addit *Argelatus* in II. *Mediol.* 1494. In I. et II. juxta *Maitt. Valentiae* 1500. At mihi objacet in I. et II. Editio *Veneta* 1518. f. quam tamen secundam arbitror; nam *Paulus de Genavano* editor Praeloqui-

um ad *Aegidium Viterb.* jam a. MDII. subscripsit.

DXIX.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. U. 426
Folior. 352. f. per duas columnas multis vocum contractionibus perscriptus et rubricis enotatus aliud est praecedentis Operis integrum Exemplar.

DXX.

Codex membraneus lat. Sec. U. 447
XIV. Folior. 120. f. per duas columnas multis compendiis exaratus et distinctus coloribus primo praescribitur: *Iste liber est Job. de Pla (centia?) filij quondam magistri albertini de falso de pla. et valet flor. VI.* Ex Italia Viennam delatum indicat altera Nota, qua illum *M. Nicolaus de Dinkelspuchel* ad librariam collegij ducal. dedisse perhibetur. Insignitur vero: *Incipiunt questiones magistri gregorii de arimino ord. fratrum heremitarum sancti August. super 2^{ae} sententiarum.* Initium est: *Quia magister in prima distinctione huius 2ⁱ libri elidens quorundam philosophorum errores &c. et finis: qui que ut peccatum tolleret venit in mundum dei filius ihesus christus benedictus in secula seculorum amen.* Ut in edit. *Veneta* suprac. Accedit Index solum alphabeticus. Commentaria Nostri in III. et IV. nunquam excusa fuisse putem.

II.